rosque pueros discedere; ingressi semel aulam, in ea consenescant.

Sophr. Tamquam qui de Circes poculo biberant, amissa mente, et in belluarum ingenium degenerantes, nolebant inde egredi et ad hominum naturam ac conditionem redire.

Agr. At hi omnes, cum se ad suam quisque domum receperunt, quid agunt? quibus se actionibus occupant, ut saltem fallant tempus?

Sophr. Plerique omnes nihil magis addunt serium, quam quod cernis, atque adeo otium illis multorum vitiorum parens est ac nutricula. Ludunt quidam taxillis, chartis, alveolo, *1 aciebus. Alii per occultam detractionem, et artificiosam maledicentiam horas pomeridianas transmittunt, hoc est, quibus domi desident. Aliqui mirifice capiuntur scurris et *2 planis, in quos sunt profusissimi, caetera praeparci et sordidi. Sed praecipua aulae corruptela est assentatio uniuscuiusque erga alios omnes, quodque peius est, erga semetipsum: ea efficit, ut nullus unquam nec a se nec a socio *3 veritatem conducibilem audiat, nisi forte in iurgio; quam is tum parum pro veritate accipit, seu pro contumelia.

Holoc. Hic quaestus est nunc multo uberrimus *4. Tu cum tua *5 veriloquentia esuries strenue; ego arridendo, adblandiendo, omnia approbando et laudando evasi locuples.

Agr. Non possent haec incommoda reges corrigere?

Sophr. Perfacile; vellent modo. Sed aliis hi mores placent, quia suorum similes: alii sibi ipsis eas occupationes accersunt, per quas nunquam vacet recti aliquid aut sani cogitare. Non desunt, qui remissis

*1 aciebus, *agli scacchi.*
*2 planis, *trappolatori, barattieri.*
*3 veritatem conducibilem, *una verità che sia utile.*
*4 Terentius in Eun. act. II, sc. 2.
*5 cum veriloquentia, *col dire il vero.*

animis et dissolutis, non arbitrantur illius domus ac familiae mores ad curam suam pertinere: quae non pertinent profecto minus, quam ad unumquemque nostrum sua domus privata.

PRINCEPS PUER

MOROBULUS, PHILIPPUS, SOPHOBULUS.

Mor. Quid agit *1 Tua Celsitudo, Philippe?

Phil. Lego et edisco, ut ipse intueris.

Mor. Intueor sane, et cum dolore: defatigas te.

Phil. Quid ergo agerem?

Mor. Quod alii proceres, principes, viri nobiles et opulenti; equitare, confabulare cum puellis augustae matris tuae, saltare, discere artem tractandi arma, lusitare foliis aut pila, salire, currere. Haec vides esse studia nobilitatis iucundissima. Quod si tantis oblectationibus fruuntur qui vix digni sunt, ut in familiam tuam admittantur, quid te facere convenit tanti principis filium et heredem?

Phil. Quid, studium litterarum nihil ne prodest?

Mor. Prodest quidem, sed iis, qui sunt initiandi sacris, aut qui ea arte victum sibi sunt comparaturi, quemadmodum aliis sutoria, aliis textoria et artes

*1 Apage aulicum hominem, domini gratiam blanditiis captantem! Vives hic noster romanam maiestatem protrivit, illa usus dicendi ratione, quam assentatio in recentiorum linguas invexit. *Quid agit Tua Celsitudo?* Itali: *Che fa Vostra Altezza?* Tu vero, si sapis, candide lector, scribes latine: *Quid agis, Philippe?*
Th. V.

caeterae quaestuariae. Surge, quaeso te, pone libros de manibus, eamus deambulatum, certe ut respires aliquantisper.

Phil. Non licet mihi nunc per Stunicam et Siliceum.

Mor. Qui sunt hi Stunica et Siliceus? An non subditi tui, in quos tu habes imperium, non illi in te?

Phil. Stunica est educator meus, Siliceus autem institutor litterarius. Subditi sunt illi quidem mei, seu verius patris; sed pater, cui ego sum subditus, praefecit illos mihi et me illis subiecit.

Mor. Quid ergo? Dedit pater Celsitudinem Tuam in servitutem illis hominibus?

Phil. Nescio.

Mor. Ah facinus indignissimum!

Soph. Minime vero, o fili; immo illos fecit servos tuos, quos voluit tibi semper adhaerere, oculos, aures, animum, mentem in te unum defixam gerere semper, et relictis suis quemque negotiis, tuum unius negotium agere: non ut te imperiose vexent, sed ut rudes tuos mores boni illi et sapientes viri ad virtutem, decus atque excellentiam forment: non quo te reddant mancipium, sed ut vere liberum et vere principem: quibus nisi obtemperaveris, tum demum servus eris extremae conditionis, peior iis, qui inter nos versantur, emti et venditi ex Aethiopia vel Africa.

Mor. Cuius tandem esset mancipium, si illis educatoribus morem non gereret?

Soph. Non certe hominum, sed virtutum, qui domini sunt importuniores, atque intolerabiliores quovis homine improbo et sceleroso.

Phil. Non satis intelligo, quae dicis.

Soph. An intellexisti, quae Morobolus?

Phil. Planissime omnia.

Soph. Oh quam essent homines felices, si quam cito habent sensum atque intelligentiam rerum levium et malarum, haberent etiam bonarum et conducibilium! Nunc vero contra evenit: aetate ista nugas, ineptias,

immo insanias, ad quas te Morobulus est adhortatus, facile intelligis: quae ego de virtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerem, tam caperes, quam si arabice loquerer aut gothice.

Phil. Quid ergo faciendum consuleres?

Soph. Ut saltem sustineres assensionem, nec huius suasibus, nec meis acquiesceres, quoad de utriusque posses iudicare.

Phil. Quis dabit hoc iudicium?

Soph. Aetas, institutio, experimenta.

Mor. Hui quam esset longum ista exspectare!

Soph. Bene monet Morobulus; abiice libros: eamus lusitatum, et ludemus ludum, in quo unus eligitur rex; is praescribit aliis quae sunt agenda, parent ceteri iuxta leges lusionis. Tu eris rex.

Phil. Ut erit ludus? nam si eum ignorem, quomodo potero regem in illo agere?

Soph. Quid dicis, Philippule dulcissime, deliciae Hispaniarum? In ludo et rebus levissimis, in quibus error nihil affert periculi, non auderes regnum suscipere ludi nescius: et vis tot et tanta regna serio capessere ac regere, ignarus conditionum populorum, legum, administrationis, denique rudis totius prudentiae, instructus solum ridiculis ineptiis, quas tibi Morobulus hic in animum instillat? Heus, *1 puer, dic *2 praefecto equilis, ut proferat huc equum illum neapolitanum, ferocissimum calcitronem et sternacem, in quo Philippus sedeat.

Phil. Minime illum vero, sed alium *3 cicuratiorem: nam regendi equi tam refractarii nondum artem habeo, nec vires.

Soph. Quaeso, Philippe, et putas tu leonem ullum esse aeque ferocem, aut equum adeo calcitronem et

*1 puer, *paggio*.
*2 praefecto equilis, *maestro di stalla*.
*3 cicuratiorem, *più addomesticato*.

refractarium et minus parentem fraenis, quam gentes ac coetus hominum, qui conveniunt et congregantur ex omni vitiorum, flagitiorum, scelerum et facinorum genere, ex animi perturbationibus concitatis, incensis, inflammatis, ardentibus? Equum non audes attingere, populum poscis quovis equo ad regendum tractandumque difficiliorem? Sed missa isthaec faciamus. Vides in hoc flumine illam cymbulam? Navigatio est iucundissima atque amoenissima inter prata et saliceta; quaeso, descendamus in eam. Tu sedebis ad clavum et ages cymbam.

Phil. Ita plane, ut vos subvertam et demergam, quemadmodum nuper fecit Pimentellus.

Soph. Ne cymbam quidem gubernare vis in amne tam modico et tam placido, quia rudis; et committis te mari illi, undis, fluctibus, tempestati populorum, inscius et inexpertus? Plane usu tibi evenit, quod Phaetonti, qui aurigandi nescius, ardore iuvenili currum patris gubernandum sibi depoposcit: notam esse tibi fabulam reor. Praeclare Isocrates duas res maximas in hominum vita dicebat esse, principatum et sacerdotium; quas tamen nemo non expeteret tamquam dignus, nemo non crederet, se recte posse gubernare tamquam prudentissimus.

Phil. Intelligo nihil esse conditioni ac personae meae perinde necessarium, ut artem ac peritiam regendi regni.

Soph. Probe rem tenes.

Phil. Quomodo eam assequar?

Soph. Eduxisti illam tecum ex matris utero?

Phil. Nihil minus.

Soph. Quomodo igitur scies, nisi discas?

Phil. Nullo modo.

Soph. Qua igitur fronte audet Morobolus hic esse tibi auctor, ut ea studia reiicias, quibus et artis huius peritia, et aliarum rerum maximarum ac pulcherrimarum cognitio paratur?

Phil. A quibus ergo sunt haec haurienda?

Soph. Ab iis, qui ea maximis ingeniis animadverterunt atque observarunt, quorum alii sunt mortui, alii vivi.

Phil. E mortuis quomodo discendum? Possunt ne mortui loqui?

Soph. Nunquamne fando audivisti nominare Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Livium, Senecam, Plutarchum?

Phil. Magna nomina saepe, et cum ingenti admiratione ac laude.

Soph. Illi ipsi et alii permulti eorum similes, iam olim vita functi, confabulabuntur tecum quoties et quamdiu libuerit.

Phil. Quomodo?

Soph. Libris, quos ad docendam posteritatem reliquerunt.

Phil. Quin dantur mihi iam in manus?

Soph. Dabuntur brevi, posteaquam didiceris eum sermonem, quo possis loquentes illos intelligere. Sustine paullisper, atque hanc brevem molestiam perfer, quae devoranda est in accipiendis principiis. Illico post incredibiles sequentur delectationes, quas qui nondum degustarunt, mirandum non est a litterario studio abhorrere; nam qui sunt experti, eos citius a vita, quam a libris et rebus cognoscendis avelleris.

Phil. Cedo vero, qui sunt vivi, a quibus sapientia haec discenda est et mens bona?

Soph. Si iter esses quodpiam initurus, a quibus tandem de itinere percunctareris? Utrum ab iis, qui iter illud nunquam vidissent, an qui aliquando confecissent?

Phil. Ab iis scilicet, qui confecissent.

Soph. Vita haec nonne est veluti iter quoddam et profectio perpetua?

Phil. Sic videtur.

Soph. Qui ergo iter perambulaverunt? Senes an iuvenes?

Phil. Senes.

Soph. Senes igitur auscultandi.

Phil. Omnes indifferenter?

Soph. Acute rogas: non omnes promiscue; sed quemadmodum de via, sic de vita. Utri norunt viam? qui eam peregerunt nihil animadvertentes, aliud agentes, animo non minus peregrinantes, quam corpore; an qui annotarunt diligenter et attente singula, et memoriae mandarunt?

Phil. Nimirum hi posteriores.

Soph. Ergo in consilio de vitae ratione capiendo non audiendi iuvenes, qui iter hoc nunquam sunt ingressi; quanto minus adolescentes, et quod stultissimum est atque indignissimum, pueri? Neque ad id admittendi senes imprudentes, lascivi, dementes, deteriores pueris, quos divina oracula exsecrantur, quod sunt pueri centum annorum. Solis praebendae aures senibus magni iudicii, usus rerum et prudentiae.

Phil. Quo signo eos dignoscam?

Soph. Nimirum aetate ista, fili, nullo adhuc; sed ubi maius et firmius accesserit iudicium, facile id cognosces ex verbis et factis, tamquam nota certissima. Interea vero dum ea ingenii facultate non vales, crede te cunctum et committe patri tuo et iis, quos tibi pater adiunxit institutores ac magistros, infirmaeque istius aetatis gubernatores et quasi manuductores per eam viam, quam tu nunquam iniisti: nam patri, cui carior es, quam ipsemet tibi, maior est de te cura, quam tibi ipsi; atque ad eam rem non solum suo usus est consilio, sed hominum sapientium.

Mor. Nimis diu tacui.

Soph. Ita plane praeter morem tuum, eamque rem ego iam dudum vehementer demirabar.

Mor. An non pater tuus, Philippe, rex Galliae et alii magni reges ac principes sine litteris et labore isto tam molesto, quem hic teneris tuis humeris inclementer imponit, regna et ditiones suas regunt et in officio continent?

Soph. Nulla res tam facilis est, quae non fiat difficilis, si invitus facias. Non est opera litteris impensa laboriosa ei, qui libens eam subit; qui autem invitus, ei vero vel lusitare et in locis deambulare amoenissimis, grave ac intolerandum est. Tibi, Morobule, nugandi avidissimo et nugis semper assueto, serium aliquid vel agere vel audire instar est mortis. Vicissim alii complures vitam sibi existimarint acerbam, si ad istum modum vitae rationes instituerent. Quam multi sunt, in aulis praesertim, quibus nihil est dulcius, quam otium torpens atque inertissimum! Admovere manum alicui operi tormenti est loco. Quam multi vicissim in populis, qui emoriantur citius, quam sic dies omnes vacuos transigere, et celerius delassentur nihil agendo, quam ab intentione animi in negotium aliquod! sed ut respondeam tibi de Caesare et rege Galliae, audies a me in universum de senibus, quos posui eos esse, qui spatium hoc vitae decurrissent. Si omnes, quotquot viam quampiam peregissent, concorditer narrent, se per viam in locum incidisse plenum difficultatis et periculi, ex quo saucii et pessime affecti discesserint; quod si eiusmodi iter rursum essent ingressuri, nihil diligentius caverent, quam illud discrimen: quid tu censes? An non hominis foret amentissimi, cum eadem ipse via insisteret, non recordari tanti periculi, non illud devitare?

Phil. Nondum teneo, quid velis.

Soph. Faciam igitur planius exemplo. Finge esse super flumen istud tabulam angustam pro ponticulo: referant tibi omnes, quotquot equo insidentes tentarint illam transire, decidisse in aquam, adiisse

vitae discrimen, aegre esse extractos semivivos; intelligisne hoc?

Phil. Bellissime.

Soph. Quid tu iam? an non tibi demens viderere, si faciens illac iter, non ex equo descenderes et effugeres id periculum, in quod alios venisse audis?

Phil. Nimirum ita agerem.

Soph. Et merito. Quaere tu iam ex senibus, quid maxime senserint incommodi in vita; quid eos praetermisisse doleat et vehementer poeniteat. Omnes tibi uno ore respondebunt, qui aliquid didicerunt: non plus didicisse. Qui vero nihil, non adhibuisse operam, ut aliquid scirent. In hanc querimoniam ingressi, non faciunt finem referendi, missos se fuisse a parentibus aut educatoribus ad scholas et magistros litterarum: se tamen vanis delectatiunculis vel lusionum, vel venationum, vel amorum, aut eiusmodi nugarum illectos amisisse pulcherrimas e manibus discendi occasiones. Itaque conqueruntur de fato suo, et sortem suam deplorant, ac semetipsos accusant, damnant, interdum quoque exsecrantur. Vides ergo locum hunc desidiae atque ignorantiae esse in via hac vitae maxime infestum et periculosum, unumque omnium praecipue devitandum; quoniam quidem audis tam miserabiles eorum querelas, qui in illum sunt collapsi. Is est igitur omni cura et diligentia cavendus; et segnitie, otio, deliciolis, nugis reiectis ac spretis, in studia litterarum, cultumque bonae mentis tota animi intentione incumbendum. Tu hac de re patrem tuum roga, tametsi iuvenem adhuc, et tu, Morobule, tuum iam senem: intelligetis ex eis, veram esse meam sententiam.

LUDUS CHARTARUM, SEU FOLIORUM

VALDAURA, TAMAIUS, LUPIANUS, CASTELLUS, MANRICUS.

Vald. Quam asperum tempus! Quam rigens et saevum coelum, quam obscoenum solum!

Tam. Quid nos monet hic coeli ac soli habitus?

Vald. Non egredi domo.

Tam. Quid vero domi agere?

Vald. Ad luculentum focum studere, meditari, cogitare de rebus, quae aliquid emolumenti afferant menti et probis moribus.

Cast. Id quidem agendum praecipue, nec aliquid esse debet homini antiquius. Sed ubi ab intentione illa delassatus fuerit animus, quo divertet hoc dumtaxat tempore?

Vald. Aliis quidem aliae sunt animorum refectiones; ego vero lusu foliorum magnopere oblector ac recreor.

Tam. Et haec temporis qualitas eo invitat, ut abdamus nos in cubiculum bene clausum et obseptum undique a vento et frigore, *1 lucente camino, mensa posita cum chartis.

Vald. Au, minime chartas.

Tam. Lusorias dico.

Vald. Istud placet.

Tam. Tum pecuniae promatur nonnihil, et calculi ad computandum.

Vald. Nihil opus erit calculis, si minutuli adsint nummi.

*1 lucente camino, *con fare una baldoria nel camino.*

Tam. Ego nullos habeo praeterquam aureos et argenteos *1 crassiores.

Vald. Commuta aliquos ex argenteis minuta pecunia. Heus, puer, cape *2 *stuferos* hos simplos, duplos, sesquiduplos, triplos, et a nummulario cura nobis nummos simplos, duplos, triplos, non maiores.

Tam. Quam nitidi sunt hi nummi!

Vald. Nimirum *3 recentes adhuc et asperi.

Tam. Concedamus in forum aleatorium, ubi omnia inveniemus parata.

Cast. Non expedit; nam haberemus arbitros plurimos. Quid refert, ludas illic, an via publica? Consultius fuerit, ut recipiamus nos in cubiculum tuum, et accersamus ex sodalibus aliquot, maxime animo refocillando idoneos.

Tam. Tuum conclave est ad id commodius; nam in meo cubiculo subinde a pedissequis matris interpellaremur, aliquid semper quaeritantibus in arcis *4 mundi muliebris.

Vald. In coenatione igitur.

Tam. Esto ita: eamus. Puer, *5 siste hic nobis Franciscum Lupianum et Rhodericum Manricum et Zoilastrum.

Vald. Mane. Minime Zoilastrum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, calumniatorem, et qui minimis de rebus excitat saepe atroces tragoedias.

*1 crassiores, *moneta grossa.*

*2 *Stuferus* est genus quoddam nummi germanici.

*3 *recentes (nummi) et asperi.* Recenter percussi, atque usu nondum detriti. Nos: *moneta nuova, uscita pur dianzi dalla zecca.* *Th. V.*

*4 *Mundi muliebris* nomine significatur quidquid ad foeminarum ornatum pertinet, cuiusmodi sunt inaures, armillae, margaritae, anuli; praeterea omne iustrumentum, quo mulieres mundiores et cultiores fiunt, uti specula, unguenta aliaque id genus. Diceres gallice: *la toilette des femmes.* *Th. V.*

*5 siste hic, *conduci qui.*

Cast. Optime profecto mones; nam si adolescens talis recreationi se nostrae admisceret, non esset id ludere, sed serio rixari. Accerse igitur pro illo Rimosulum *1.

Vald. Neque hunc, nisi velis, quaecumque hic fuerimus nugati, ante solis occasum nota esse toti civitati.

Cast. Tam bonus est praeco?

Vald. Etiam rerum, quas scire nihil attinet; nam res bonas sacratius reticet, quam *2 mysteria Eleusina.

Tam. Veniant ergo Lupianus et Manricus soli.

Cast. Hi sunt belli sodales.

Tam. Et mone illos, ut afferant secum nummulos; quidquid est autem severitatis et serii, domi commendent Philopono tetrico, veniant facetiis, lepore, gratiis comitati.

Lup. Salvi sitis, sodales festivissimi.

Vald. Quid sibi vult contractio isthaec frontis? Exporrigite istos vulticulos. An non estis iussi cogitationes omnes litteratas apud musaeum deponere?

Lup. Cogitationes nostrae litterariae sunt adeo illiteratae, ut eas musae, quae sunt in musaeo, respuant.

Manr. Salvete.

Vald. Salus est dubia, quando ad acies et pugnas vocamini, et quidem quibus reges sint interfuturi.

Tam. Este bono animo: crumenae impetuntur, non iugula.

Lup. Crumena plerisque est pro iugulo, et pecunia pro sanguine ac spiritu: velut istis *3 Caribus, quorum vitae contemtus instrumentum est regibus ad exercendos suos furores.

*1 Rimosum hominem dicimus, qui nihil celare potest eorum, quae audit aut videt. *Th. V.*

*2 mysteria Eleusina: sacrificia Cereris, quae ad Eleusim, oppidum Atticae, celebrabantur, silentio magis, quam ulla alia re sacra.

*3 Cares, ex Caria regione, qui primi suam in bellis operam locarunt: unde pro avaris et sordidis hominibus vulgo accipiuntur.

Manr. Nolo ego esse actor in hac fabula, sed spectator.

Tam. Qui sic?

Manr. Quia sum infortunatissimus. Semper a ludo discedo victus et spoliatus.

Tam. Scis, quid dicunt proverbio aleatores, ibi quaerendam esse togam, ubi amiseris.

Manr. Verum, sed periculum est, ne, dum togam amissam quaero, perdam et tunicam et interulam.

Tam. Accidit quidem hoc non raro; sed qui non periclitatur, non ditescit.

Manr. Ea est *1 metallicidarum sententia.

Tam. Immo etiam *2 Iani medii Antuerpiensis.

Vald. Recte habet: non possumus, nisi quatuor ludere, sumus quinque: sortiemur quis erit aliorum spectator.

Manr. Ego vero sine sortione.

Vald. Nihil tale: nulli est facienda iniuria: non cuiusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus rex obtigerit, sedebit otiosus spectator; et si quid inciderit controversiae, iudex.

Lup. Ecce vobis *3 fasciculos duos foliorum integros, alter est hispaniensis, gallicus alter.

Vald. Hispaniensis hic non videtur iustus.

Lup. Quid ita?

Vald. Quoniam desunt decades.

Lup. Non solent illi habere, ut gallici; chartae enim hispanae, quemadmodum et gallicae, in quatuor sunt

*1 metallicidarum, *alchimisti.*

*2 Ianus medius fuit Romae locus tectus in foro, mercatoribus et foeneratoribus frequens; qui idcirco dictus est *Ianus medius* quod esset medius inter duas Iani statuas, quarum altera *Ianus superior*, altera *Ianus inferior* appellabatur. Hic autem Noster *Ianum medium Antuerpiensem* vocat locum Antuerpiae, quo negotiatores rerum agendarum causa conveniebant. Italis esset: *la Borsa.* *Th. V.*

*3 fasciculos foliorum, *mazzi di carte.*

genera seu familias divisae. Hispanae habent aureos nummos, *1 carchesia, baculos, enses: gallicae corda, *2 rhombulos, *3 trifolia, *4 vomerculos, seu palas seu spicula. Est in quaque familia rex, regina, eques, *5 monas, *6 dyas, *7 trias, *8 quaternio, *9 pentas, *10 senio, *11 heptas, *12 ogdoas, *13 enneas: gallicae habent etiam decades: et hispanis aurei et charchesia *14 potiora sunt pauciora, contra enses et baculi: gallis autem plura sunt semper meliora.

Cast. Quo lusu ludemus?

Vald. Triumpho hispanico, et *15 distributor retinebit sibi *16 indicem chartam, si sit monas, aut imago humana.

Manr. Sciamus iam, quis erit ludo exclusus.

Tam. Probe mones: cedo folia; hoc est tuum, hoc istius, hoc Lupiani: tu es iudex.

Vald. Malim te mihi iudicem, quam *17 collusorem.

Lup. Bona verba; cur istuc quaeso?

Vald. Quia es in ludendo admodum vafer et cavillator: tum aiunt, te artem tenere *18 componendi folia, ut tibi expediat.

*1 carchesia, *coppe.*
*2 rhombulos, *quadri.*
*3 trifolia, *fiori.*
*4 vomerculos, *picche.*
*5 monas, *l'asso.*
*6 dyas, *il due.*
*7 trias, *il tre.*
*8 quaternio, *il quattro.*
*9 pentas, *il cinque.*
*10 senio, *il sei.*
*11 heptas, *il sette.*
*12 ogdoas, *l'otto.*
*13 enneas, *il nove.*
*14 potiora sunt pauciora, *i meno contano più.*
*15 distributor, *chi dà le carte.*
*16 iudicem chartam, *la carta che scuopre.*
*17 collusorem, *compagno nel giuoco.*
*18 componendi folia, *di accomodare le carte.*

Lup. Non habet fraudem mea lusio, sed imperitiae tuae industria mea videtur impostura; quod fere ignaris contingit. Ceterum qui tibi placet Castellus? qui simul ac lucratus est pauxillum pecuniae, deserit collusores.

Tam. Eludere est hoc quidem potius, quam ludere.

Vald. Levius hoc malum; nam si vincatur, affixus erit ludo clavo plusquam trabali.

Tam. Sed lusuri sumus bini, duo contra duos: quomodo erimus *1 comparati?

Vald. Ego ludi huius inscius adhaerebo tibi, Castelle, quem audio esse callentissimum.

Tam. Adde etiam callidissimum.

Cast. Non est hic opus electionibus: sorti sunt committenda omnia: quibus obvenerint plura puncta, adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.

Vald. Esto ita: *2 assigna folia.

Manr. Ut optaveram, ego et Castellus ab eadem stamus parte; contrarias tuentur partes Valdaura et Tamaius.

Vald. Sedeamus, uti solemus, *3 decussate. Da mihi illam sellam *4 reclinatoriam, ut quietius perdam.

Tam. Appone scabella: assideamus iam: sortire, *5 cuius sint primae partes.

Vald. Meae sunt. Distribue tu, Castelle.

Cast. Quomodo? a sinistra in dexteram, more belgico, an contra hispano more, a dextera in sinistram?

Vald. Hoc more; quoniam ludo Hispanorum utimur. Reiecistin' decades?

Cast. Etiam. Quot folia dabo singulis?

*1 comparati, *accoppiati.*
*2 assigna folia, *dà le carte.*
*3 decussate, *in croce.*
*4 reclinatoriam, *da riposo.*
*5 cuius sint primae partes, *a chi tocca la mano.*

Vald. Novena: sed quaenam erit sponsio?

Manr. *1 Terni in singulas manus denarii cum geminatione sponsionis.

Cast. Sensim, mi Manrice; nimium properas. Non esset is lusus, sed furor, ubi tantum pecuniae veniret in periculum. Quomodo potes oblectari in anxietate illa, ne tot nummi tibi pereant? Denarii singuli sufficient, et auctus sponsionis erit dimidii, nempe assium quinque.

Vald. Recte consulis: ita nec nihil ludemus, quod est insipidum; nec quod doleat, quod est acerbum.

Cast. Habetis singula novena folia? *2 Cordium est familia dominatrix, et haec regina est mea.

Vald. Nescio quam felix est omen hoc; certe est verissimum, dominari vulgo corda foeminarum.

Cast. Desine speculationes: responde ad hoc: augeo sponsionem.

Vald. Ludum habeo dissipatum et male cohaerentem: cedo tibi.

Tam. Et ego item. Distribue tu, Manrice.

Vald. Quid agis? Non vertis *3 chartam indicem?

Manr. Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim.

Vald. Unam habes plus iusto.

Manr. Deponam.

Vald. Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, et transeat ad sequentem: cedo folia.

Manr. Non faciam; quandoquidem nondum protuli indicem.

Vald. Immo facies per Deum.

Cast. Apage, quid tibi venit in mentem, Valdaura? Iusiurandum admisces rebus levissimis, quod vix gravissimis rebus adhibere convenit.

*1 Terni in singulas manus denarii, *tre danari per partita.*
*2 Cordium est familia dominatrix, *il trionfo di cuori.*
*3 chartam indicem, *la carta del trionfo.*

Manr. Quid tu dicis, iudex?

Lup. Profecto ignoro, quid sit in eo facto statuendum.

Manr. Qualem iudicem nobis praefecimus sine iudicio, ducem sine oculis!

Vald. Quid ergo fiet?

Manr. Quid tandem, nisi ut mittamus Lutetiam, qui hac de re afferat nobis aliquod senatusconsultum.

Cast. Misce omnia, et rursum impertire.

Tam. Oh qualem ludum mitto de manibus! Non obveniet mihi hodie similis.

Cast. Misce probe isthaec folia, et praebeto singulis attentius.

Vald. Rursum augeo sponsionem.

Tam. Num non praedixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? semper sum infortunatissimus: cur ego ludum vel aspicio oculis?

Cast. Hoc vero non est ludere, sed se afflictare: hoc refici et recreari animum, ita concitari? Ludum oportet esse ludum, non molestiam.

Manr. Sustine paullisper; ne abiicias folia, nam est *1 panicum.

Vald. Responde igitur, an recipias.

Manr. Recipio, et rursum augeo.

Vald. Quid, tu speras me ferocibus tuis verbis *2 protelare? Non concedo.

Manr. Effare tandem semel et expedite: admittis ne?

Vald. Etiam, et quidem libentissime: et animus instigat me tali ludo *3 maiore pretio certare, sed istud inter amicos sufficit.

Tam. Quid vero me non computatis inter vivos? Adeo nulla est mei mentio?

*1 panicum, *vano timore.*
*2 protelare, *far fuggire.*
*3 maiore pretio certare, *scommetterei di più.*

Cast. Quid igitur tu ad haec, homo *1 foenee?

Tam. Ego vero augeo mea ex parte depositum.

Manr. Quid tu dicis, Castelle?

Cast. Nunc me consulis, posteaquam tua opera depositum crevit in immensum: ego incrementum hoc non auderem hoc meo ludo sustinere.

Vald. Responde affirmative.

Cast. Non habeo, quod sic respondeam, sed valde ambigue et dubitanter et cunctabunde et timide et diffidenter. Est ne sic satis expresse dictum?

Manr. Deum immortalem, quanta copia! Non tam densa nuper cadebat grando. Sed quaeso te, periclitemur paullisper.

Cast. Experiamur quando ita tibi placet: a me vero non sperabis magnam opem.

Manr. Feres tamen, quas poteris, suppetias.

Cast. Nihil necesse id habes admonere.

Manr. Plane victi sumus.

Tam. Vicimus denarios quatuor: misce.

Vald. Addo quinque asses.

Cast. Nescio an cedam; nam scio, me certe victum iri.

Tam. Rursum alteros quinque.

Cast. Quid tu ad hanc provocationem dicis?

Manr. Quid dicam? fugio.

Cast. Tu perdidisti proximum ludum; sine, me hunc arbitratu meo perdere. Sentio, me esse inferiorem, sed sustinendum est quamdiu aliquid videro superesse virium.

Vald. Quid ergo dicis? Recusas?

Cast. Non, *2 immo addico.

Tam. Tu, Valdaura, non nosti hunc Castellum? Superiorem habet ludum tuo; sed ita solet callidos provocatores illectare in suum rete. Vide, ne quo progrediaris temere, ubi tenearis irretitus.

*1 homo foenee, *uomo dappoco.*
*2 immo addico, *anzi lo tengo.*

Vald. Divûm fidem ! Quomodo potuisti divinare folium mihi postremum restare *1 huius nationis ?

Cast. Novi omnia folia.

Vald. Non omnino est istuc incredibile.

Cast. Ita plane, novi a facie.

Vald. Forsitan etiam a tergo.

Cast. Nimium suspiciosus es.

Vald. Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia.

Tam. Dispiciamus, num quae sint chartae aversae *2 maculatae, unde possint noscitari.

Vald. Faciamus, quaeso vos, ludendi finem : angit me hic ludus tam infeliciter cedendo.

Cast. Ubi voles, sed fortasse non in ludo est vitium, sed in tua imperitia, qui nescis ludum scienter ad victoriam accommodare ; sed iacis folia absque arte, ut sors tulerit; ratus, nihil interesse quid prius, quid posterius mittas, quis, quo loco sit iacturus.

Tam. Omnium rerum est satietas, etiam voluptatum ; et ego defessus sum iam sedendo : assurgamus aliquantisper.

Lup. Cape *3 testudinem hanc, et aliquid nobis cantilla.

Tam. Quid tandem ?

Lup. De ludo quidpiam.

Tam. Carmen Virgilii ?

Lup. Istuc ipsum; aut si mavis, Vivis nostri, quod ille nuper canebat deambulans in *4 pomoerio Brugensi.

Vald. Anserina voce.

Lup. Cane tu olorina.

Tam. *5 Deus meliora ! nam olor non canit, nisi fato iam urgente.

*1 huius nationis, *di questo colore.*
*2 aversae maculatae, *contrassegnate al di dietro.*
*3 testudinem, *liuto.*
*4 in pomoerio Brugensi, *lungo le mura di Bruges.*
*5 Deus meliora, *Dio mi guardi.*

Ludunt et pueri, ludunt iuvenesque senesque
Ingenium, gravitas, cani, prudentia, ludus.
Denique mortalis, sola virtute remota,
Quid nisi nugatrix et vana est fabula vita ?

Vald. Possum vobis confirmare, esse carmen bene expressum, tamquam ex spongia arida.

Lup. Tanta cum difficultate componit carmen ?

Vald. Magna; sive quod raro, sive quod non libenter, sive quod alio fert eum ingenii pronitas.

LEGES LUDI.

Varius dialogus de Valentia urbe

BORGIA, SCINTILLA, CABANILLIUS.

Borg. Unde tu iam nobis, Scintilla iucundissime ?

Scint. Lutetia.

Borg. Qua tandem Lutetia ?

Scint. Qua tandem quaeris ? Quasi sint multae.

Borg. Etiamsi sit unica, ea quaenam sit ignoro, aut ubi sita.

Scint. Lutetia Parisiorum.

Borg. Parisios nominari audiveram et quidem saepe, Lutetiam nunquam : est ergo Lutetia, quos nos Parisios dicimus. Ea igitur est caussa, cur tu tamdiu nullus es visus Valentiae, et potissimum in *1 sphaeristerio nobilitatis.

Scint. Alia ego vidi sphaeristeria Lutetiae, alia gy-

*1 sphaeristerium, locus est pilae lusui destinatus.